

Appendix ad Ephemerides Latinas

Nro. 32.

*Complectens Physico - Oeconomica.**De maximis Orbis terraquei Adamantibus.**Conclusio.*

In politis adamantibus, ad defigendum eorum valorem, primum pondus duplicatur, tum ad quadratum elevatur; e. c. valeat adamantis Carat unum 20 fl. tunc ejusdem bonitatis adamas politus, & 2 Carat appens, summæ 1600 fl. æquivalet.

Præter recensitas Proprietates plures aliæ adamanti competunt. Est quippe omnium nobilium lapidum gravissimus, pellucidus, sine colore, & electricus; si enim tritu incalescat, chartam, stramen, plumas, auri bracteolas, pilos, sericum attrahit. Per candescentiam eam induit proprietatem; ut in tenebris instar carbonum candentium luceat. Quamvis vero intensioris ignis actione in vase hermetice clauso destruat, nulla tamen hætenus arte ad fluxum disponi poterat. Celeberrima experimenta ad liquefaciendum adamantem instituta sunt ab Imperatore Francisco I, qui studio processibus Chemicis multum delectabatur. Experiri nempe vole-

bat Princeps hic; an actione caloris e pluribus minoribus adamantibus unus majoris molis conflare possit. Utebatur hac in re opera potissimum Jesuitæ Franzii. Postquam hi nullo modo igne vulgari, intensissimo licet, adamantes fluidos efficere quiverunt, tandem ad efficacitatem radiorum Solis confugerunt. Concentratis itaque, variis tum majoribus, tum minoribus speculis & vitris causticis mediantibus, solaribus radiis, id quidem præstiterunt; ut lapides adamantini foco impositi intra minuta aliquot in cineres redacti fuerint; solvere eos tamen, & ad fluxum cogere nullatenus poterant. Hodiedum in cabineto Rerum Naturalium Vindobonæ specula caustica videre licet, quibus Aug. Imperator Franciscus I. ad liquandos adamantes utebatur.

Pulcherrimi adamantes, hætenus inventi, ii censentur, quos ex India Orientali adferunt, præcipue vero, qui ad *Gani* seu *Coulour*, quod 7. dierum intervallo a *Golconda* distat, effodiuntur. Horum plerique octo angulorum sunt. Ditissimæ dein venæ adamantinæ in Bengalia, & insula Borneo ad *Raolconda*, *Lataur*, & *Soumelpour* existunt. Post adamantes Indiæ Orientalis maxime celebrantur Americani. Fodinæ ibi ditissimæ sunt Brasilienses, quibus apertis cum decremento valoris adamantium numerus eorum crevit. Magis adhuc pretium eorum imminutum fuisset, nisi ad evitandum hoc *Aua Luaitanica* provide statuisset; ut annis sin-

gulis determinata tantum quantitas lapidis hujus eruatur. Operarii in Cuniculis his nudi laborare tenentur; ut omnis furti committendi occasio removeatur; alioquin minimum furtum pœna mortis plectitur. Hoc interim non obstante reperti jam sunt, qui variis modis præcautionis leges istas eludere noverunt.

Olim Adamas Magni Mogolis, cujus dominationi Angli finem imposuerant, maximum inter referebatur. Nam $379\frac{5}{8}$ Carat appendisse, & valoris 11,723,278 Libr. Gall. fuisse dicitur. Inter eos, qui actu existunt, notique sunt, maximus pulcherrimusque censetur Russicus, qui hodie sceptrum Imperat. Russorum ornat, in eoque, immediate aquilæ Imperii subjectus, fulget. Is idem esse existimatur, qui olim Oculo Dei Brama, Idolo Malabarensium templi Scheringamensis in India, insertus fuerat. Hunc nempe miles Gallicus, ab Indico Granatariorum agmine profugus, & muniis in templo eodem peragendis admotus, dum vice quadam excubias noctu ageret, furto sustulerat. Fugit dein cum ablato thesauro primum versus *Trichinapenty*, inde vero ad *Gondelour*, tum *Madrasinum*, quod jam Juris Anglorum est. Hic eundem Navigii Anglici Capitaneo cuidam pro 50,000. Libr. vendiderat, a quo dein in manus Hebræi cujuspiam, persolutis 300,000 Librar. devenerat. Judæus vero thesaurum hunc evolutis annis aliquot insigni cum lucre Mercatori Græco tradidit, a quo

demum eundem a. 1772. Catharina II Russorum Imperat. obtinuerat. Hæc Possessori pretiosissimi hujus lapidis præter 2,250,000 Libr. (450,000 Rub. aut 900,000 fl.) parati æris, annuos insuper 100,000 Libr. assignavit. Quamvis autem allata modo summa ampla esse videatur, nequaquam tamen pretio adamantis ejusdem est commensurata. Est enim purissimus, igne vivacissimo fulget, figuram habet planam ovalem, magnitudine ovo columbarum super, & 779 Carat appendit.

Alterum e memoratu dignissimis adamantibus *Pittium*, aut *Regentem* vulgo adpellant. Fata hujus sequenti modo narrantur: Operarius quidam in fodinis adamantum Brasiliensibus casu in hunc, de quo sermo est incidit; ut igitur illum, quem magni pretii futurum e magnitudine conjecerat, in proprium commodum convertere possit, pedi suo vulnus ferro infixit, huic dein, postquam in ulcus tumisset, adamantem suum recondidit, atque conscensa navis summos inter dolores, & maxima vitæ amittendæ pericula, una secum ad Europam, nominatim Angliam, transtulit. Comes Chatam seu Lord Pitt, actu viventis primarii Aulæ Londinensis Administris Pitt pater, eundem, persoluta haud exigua pecuniæ summa, suum fecerat; unde *Pittii* nomen obtinuit. Hic postquam eundem scindi polirique curavisset, tantam ignis vivacitatem adqui-

sivit; ut omnes alios fulgore suo, atque adeo pretio longe superaverit; quamvis Pittio sola frustilla a politura decidua 6000 Lib. Sterlingicarum jam intulerint. Augustus Poloniae Rex, & Dux Saxoniae Pittio pro adamante hoc 800,000 Imperial. offerebat, jamque Ordines Saxoniae oblatæ summæ successivam persolutionem pollicebantur; verum cum Pittius millionem thaleror. postulaverit, contractus effectu caruit. Pœnitebat subinde & Augustum Regem, & Pittium infelix Negotiationis exitus: illum quidem, quod pretiosissimum Orbis Clenodium, quo celebrem viridem fornicem Dresdæ exornare intendebat, e manibus suis elabi siverit; hunc autem, quia dein vix 300,000 Imp. pro adamante suo adquisiverat. Cum enim Pittius ob thesaurum hunc multas vitæ insidias superandas habuerit, eundem tandem Duci Aurelianensi, qui sub minorennitate Ludovici XV. Galliae Regnum administraverat, tradidit, a quo *Regentis* ei Nomen inditum est. Pretium quidem ejus in multis millionibus defixum erat, verum illud partim in gemmis aliis, clenodiisque juxta æstimationem, Parisiis factam, partim in schedis Banca libus acceptare debebat Pittius. Cum vero post infelix Finantiæ systema Joannis Law Chartas suas in æs paratum illico convertere non potuerit, 300,000 Imperial. contentus esse cogebatur. Adamas idem longo adhuc tempore maximum Coronæ Galliae ornamentum constituebat.

Tertium locum maximos celeberrimos. que adamantes inter tenet is, qui Florentinus vocatur, hodieque in Cæsareo Vindobonensi thesaurario asservatur. Varias hic vicissitudines subivisse fertur. Olim in diademate Caroli Audacis postremi Ducum Burgundiæ fulgebat, quem dein in celebri pugna ad *Granses* cum residuo thesauro, & pretiosa suppellectile deperditum, miles Helveticus spolia inter invenerat, & Civi cuidam Bernensi pro exigua 5 fl. tantum constituyente remuneratione tradiderat, a quo eundem Italus Mercator erga 120 fl. obtinuerat. Crevit postea pretium ejus continenter, donec tandem in potestatem Magni Ducis Hetruriæ pervenit, qui eundem pro 75,000 Scutat. emerat. Lapsu dein temporis eundem adamantem Franciscus Magnus Dux e stirpe Lotharingica, Imperator Romanor. postea creatus, Florentia Viennam ad Conservatorium thesauri transtulit. Magnitudine nucem Italicam æquat, & 139½ Carat appendit. Quamvis autem spectata pulchritudine tam Russico, quam Gallico inferior sit, cum nonnihil in flavescens, ad instar pomi citrini colorem degeneret, nihilominus valoris 2,608,355. Libr. Gallic. esse censetur. Lapidis hujus ad imitationem duo alii fabricati sunt: unus eorum, e flavescente silice scissus, Florentiæ; alter e pulchro Bohemico adamante paratus, Vindobonæ hodie dum asservatur.

Quaedam de Schisto Vissnyóensi.

Schistus (ardesia *Schleferstein*) lapidis genus est, cærulescentis, subviridis, flavi, aut fuscii coloris, in tenues lamellas facile separabilis, quæ pro mensis, aut tabulis scriptoriis adparandis, in multis etiam locis pro vestiendis tectis adhibentur: Reperitur in Galliis, Germania, Bohemia, Italia, Scotia; neque eodem caret Hungaria; siquidem schistus, qui ad Vissnyó Provinciæ Borsodiendis eruitur, omnibus gaudeat proprietatibus, ad vestienda illius ope tecta ædificiorum requisitis. Primum experimentum Budæ institutum est, ubi ædificium, in horto Serenissimi Principis Palatini erectum, schisto Vissnyóensi est contactum; tardius eodem tectum turris Ecclesiæ Oroszlányiensis in Comitatu Comaromiensi, & Officinæ cerevisiariæ Civicæ Posonii est vestitum; modo autem pro tegmine tecti templi Evangelico-Lutheranici Pestini adhibetur. In Zsértz quoque, & Felső-Tárkány, Possessionibus juris Archi-Episcop. Agriensis, Schistus effoditur. Quamvis autem hic Vissnyóensi qualitate inferior sit, probabile tamen est, illum etiam, ubi ad majorem profunditatem deventum fuerit, eam, qua Vissnoensis gaudet, bonitatem successive adepturum.

Eruiatur Schistus e lapidinis, ubi inactis e latere angustiore ferreis cuneis, a reliqua massa avellitur; tumque in majores, minoresve, crassiores, aut tenuiores laminas dif-

finditur. Laminæ Schisti Vissnyoensis diversæ sunt crassitie, & præprimis longitudinis; nam ab 8 usque 18 pollices longæ haberi possunt; quæ varietas ratio quoque esse videtur; quod non per frusta, verum juxta pondus vænumdentur. Venditur vero Centenarius laminarum schisti in Loco Vissnyó a Rhenensi floreno uno, & 15 xr.; Agriæ 1 fl. 30 xr. Cassoviæ & Debreczini 1 fl. 45 xr. Pestini demum 1 fl. 47 xr. Ad superficiem orgyæ quadratæ contegendam duo circiter laminarum schisti centenarii sufficiunt; quare data spatii vestiendi area, quantitas, pretiumque schisti absque difficultate determinatur. Agriæ periti Magistri degunt, qui ad remotiora etiam loca tectorum schisto vestiendorum gratia excurrere solent.

Naturæ hoc productum Patriæ nostræ eo majorem attentionem meretur, quo certius est, non levia esse momenta, quæ materiam hanc pro tectis tegendis commendant. Et enim tectum schisto vestitum minus, quam imbricatum, muros sibi subjectos premit; quare ad illud absque noxa sustentandum tanta, quantam tegulæ hamatæ deposcunt, firmitas, soliditasque ædificii haud est necessaria.

(Continuabitur.)
